


Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo più gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.

R. G. ADAMS



The John Carter Brown Library



GIFT OF

Thomas R. Adams



Nœnia

IN OBITVM ILLVSTRIS DOMINI SIGFRIDI, ILLVSTRIS ATQVE GENEROSI DOMINI, DOMINI IOHANNIS FRIDERICI HOFFMANNI,

Liberi Baronis in Grunpuhel & Strechau &c. Hæreditarii Præfecti Aulæ Styriacæ, ac Mariscalci Hæreditarii Austriæ & Styriæ: à Consiliis, Illustriss. DN. DN. CAROLI Archiducis Austriæ, consultissimi, filii: qui, post sesquimenstruam febris exæstuationem, PATAVII Italiæ, 3 Calend. Augusti, Anno Partus S. Virginis. 1589. piè in Domino diem obiit: & postridiè corpore ad Auitam Sepulturam Sedis Liberæ STRECHAV in Germaniam abductus est:

Humilis obseruantiæ ergò conscripta

à

IOHANNE PATIENTE MEDIC. C.



PATAVII,


Apud Laurentium Pasquatum

M. D. LXXXIX.

RPJCB

ILLVSTRI AC GENEROSO
DN. DOMINO IOHANNI FRIDERICO HOFFMANNO

Libero Baroni in Grunpuehl & Strechau &c. Hæreditario Præfecto Aulæ Styriacæ, & Mariscalco Hæreditario Austriæ ac Styriæ, à Consiliis Illustriss. Caroli Archiducis Austriæ &c. Cõsultissimo &c. Domino suo summa obseruantia colẽdo





RISTIA tristibus, grandia magnis deberi: illa elegis, hæc heroicis pertractanda esse, Illust. ac Generose D.Baro, vt vulgò ita præceptis notum est. Vtrumq; hoc cùm prima fronte aspicio, vtrumq; verò nondùm probè comparo: eò animi proficiscor, vt lugubri huic materiæ etiã triste genus metri deberi inficias ire nõ queam. Tùm vel maximè quòd hoc à summis olim Poetis obseruatum acceperimus. Verùm si primordia Illust. SIGFRIDI, piæ memoriæ, cogito: si pietatem specto: si indolem heroicam: si insignem ipsius modestiam & eruditionem & mores: si cæteras virtutes propiùs euoluo: si denique, ad quem præsens spectare videtur oratio, perpendo: longè profectò inferiores elegias, quàm quæ huc pertineant, facio: vt etiam nihil non heroico cothurno grandius requiri posse libenter fatear. Auget propositũ, quòd plus in transgrediendo hoc poetarum decreto veniæ mihi relictum arbitrer: cùm poeta nec sim, neque nos perpetuò illis astrictos meminerim. Operæ igitur pretium insigne fecisset vel vna illustris ac Generosa vestra Familia, quæ, quàm ab oratione mea lucem accipere possit, multò est illustrior: àc ego deiectior. Non dicam nunc ingenii bonitatem, quam cum admiratione superioribus diebus met ipsum D.SIGFRIDVM testatam fecisse sat scio. Taceo iam modestiam, prætereo vitæ integritatem, non enumero sermonis suauitatem, non morum amabilitatem: quibus omnibus id sibi comparauit,

vt omnium animos atque obſeruantiam mirè ad ſe noñ pertraxerit modò : ſed & plus magis iam reuiuiſcere incipiat. Etenim : is fuit, qui extra omnem faſtus tumorem , imam humilitatem cum heroica ſemper grauitate coniunctam omnibus probarit. Qua ſanè virtute nihil laudabilius, nihilq; homine alto dignius : quo enim quis maior, hoc laudabilior in ipſo ſplendeſcit Humilitas. Breuiter : tantus fuit, quem meritò & lugere & ampliſsimo modo lugere debemus.

Quo aũt impulſu maximè has næenias vel tractauerim, vel noĩe tuo, Illuſtris Dn. Baro, inſigniuerim : tùm ſuperiora omnia, tùm non exigui momenti alia multa fecere. Vnum: vt vitæ, vt profectus literarii, vt obitus tandem beati, in Chriſto, Baronis, filii tui amantiſsimi memoria atque teſtimonium aliquod extaret publicum. Alterum : vt nõ rude ſolum cadauer : ſed & viuus ex parte ad vos ex Italia reueheretur : vnde nonnihil conſolationis ad Illuſtrem Familiam veſtram (quæ ob Illuſtrem Sororium tuum Dn. Theod. à B[illegible] nem &c. non ita pridem vita defunctum in luctu a[illegible]) proficiſceretur. Porrò vt induſtriæ & fidelitatis argu[illegible] uod de pio ac docto viro M. Ioh. Soldano præceptore p[illegible]m: ex quo quid de Dn. Nicolao filio tuo Iuniore & adiu[illegible]s diſcipulis polliceri vobis queatis haud obſcurum fiat. P[illegible] vt hac ratione Illuſtri tuo fauori me atque meos ſemper co[illegible]s, ſemper officiis deuinctos redderem. Quod ſi apud vos c[illegible], nõ ſim hoc carmine, non tamen non animi mei humilitatem, operam, conatus, acceptos iri ſpero. Id quod humilem in modum à vobis omnibus contendo. Vale nuñc Illuſtris atque Generoſe Baro cum Generoſiſsima Familia tua feliciſsimè. Patauii Antenoris. 10. Calend. Septemb. Anno 1589.

Illuſtris ac Generoſæ

Amplitud. tuæ



MAgnos Heroas æquè ceu puluere natos,
Quos amat Altitonans, vario crucis æquore pulſat,
Hinc humilis manat patientia; proſilit & ſpes:
Ipſa fides tandem], quæ inter nos ſidera ducit.
Ecce: Quid vtilius Cruce? quid Cruce dulcius? ecce:
Quis ferè non optet talem ſufferre procellam?
At ſi quos, Generoſe Senex, mortalia fluctus
Pectora ſenſerunt: vnus toleraſſe videris
Haud minimos: quis non te iudicet eſſe beatum?
Horrifici Martis, Mortisq́; atra ſpicula paucis
Solibus expertum preſsi patientia cordis
Hortatur tandem ſepelire dolore dolorem.
Surripuiſſe thori ſociam non ſufficit olim
Letho: nec natas: nuper quoq; ſuſcitat ignes
Martis, & in iugulum nati ſua vulnera iurat.
Vix ciet, ille aſtat miſcendis ſtrenuus armis:
Arma fremunt: tormenta tonant: pars multa cruore
Excutit innocuam vitam: pars cætera vinclis
Abſtrahitur; ſocius captis quoque ducitur ille.
Sic erat in Fatis: cauſæ eſt res neſcia. Verùm
Tam non arma valent, tam non ſunt vincula dura,
Tam non in damnum Nati iuraſſe iuuatur
Ira Stygis, fluit Annus, ab hoc IS LIBER ABIBAT.
Acceſsiſſe DEVM Muſę (Nam ſedulus antè
Imbibit Aonias artes) & vota tuliſſe
Cum Patre cenſentur: DEVS imperat: inq́; paternas
IANFRIDERICE, diu ſperate, reduceris arces.
Hæc ſuper indignans Lethum calet ac fremit ira:

Nec tamen effugiet prorſus mea ſpicula Stirps hæc,
Inquit, & in varios curſus ſua lumina torquet.
Eſt ramoſa ſatis: Soboles bis quina, Sororq;
Spem Generis ſtatuunt; ſupereſt & Mater Auita.
His ego, ſic etenim fatur, ni ſancta Poteſtas
Obſtiterit, gemini luctus monumenta faceſſam.
Si rapio Affinem, Generi paro vtriq; dolores,
Et funus (mihi præda foret) fit funeris author.
Dixit. Et optatis potitur ſucceſsibus. Exin
Morte peritq; fide ſuperatq; Sororius aſtra.
Hoc, Generoſe Baro, dum te ius triſte ſepulchri,
Ex aliis dum te peteretq; Bohemia cauſis:
Hac Mors parte ſibi gratans lætatur, ab illa
Parte furit, cœptiq; memor vix tempora differt.
Iuraui duplices, ait, his obtrudere luctus:
Vno iam potior voto: Cœlo hæſitat illud.
Excitat (infenſi mihi) ſtemmatis inclita de ſe
Spes ſpem SIGFRIDVS: ter terni ex Arbore rami
Tertius in numero, pietateq; tertius eſt vix:
Dotibus ingenii ſublime ipſamq; Mineruam
Spirat, amabilibus certeq; eſt moribus auctus:
Nulli non vita, nulli non Arte probatus:
Hunc odi: mores odi: faſtidio dotes.
Si foret hic viui per me quoq; luminis orbus,
Mœſtius exemplar Genitori, Auiæq;, ſui quem
Pectoris inſtar habet, vix vllum iungere poſſem.
O Cœli nexus quicquid: diſcordia fratrum
Quatuor orbificùm; quicquid certamine polles:
In mea vota refer, mea cœpta ſecunda ſecundes:
In-

Inſtrumenta necis iamiam conferte parandæ:
Sirius, & regio, gemino Titanq́; calore
In mea cœpta nuent: & vis mihi propria, quamuis
Frigida ſim, quamuis vultu ſim pallida, reſtat:
Induo ſupremo Mortales tegmine: flammam
In frigus verto: motum demo: turpo venuſta:
Hic labor: hoc lucrum: res noſtri muneris hæc eſt.
Sirius & Titan magno procedit Olympo:
Et ſecum iurant, quàm Luna bis impleat Orbem,
Hos patrios in Mortis opem miſcebimus ignes.
Hic ſine non illo, nec & hoc ſine Sirius ora
Soluit, ab ambobus tecto vis murmure pergit.
E genitore quidem germani, è matre priuigni
Bis bina fratres (Elementa vocantur) & ipſi
Effantur tandem: quicquid diſcordia concors
Noſtra valet (ni vel proles Medicamina noſtrę
Obſequium malint Phœbo deferre potenti,
Vel maiora niſi vetitent Sacra Numina nobis)
Omne id Sigfridum clàm conuertemus in vnum.
Et nunc Concilii decreta prehendere tentant.
Eſt locus exigui Mundi, quà currit abyſſus
In varios plexus: Cereriq́; Meroq́; dicatus
Eſt locus, in totum corpusq́; alimenta miniſtrat,
(Tu SIGFRIDE mihi parui ſtas nomine Mundi)
Huc Mater tacitos greſſus parat Alma, manuq́;
Neptunum recipit: iungunt animosq́; manusq́;
Prætereuntq́; coquum furtìm; ſcrutantur vtrinquè
Quò ſe proripiant: curſu labyrinthus in illo
Cernitur, huc arctis reptant amplexibus ambo.
Tu-

Tutior hoc non eſt locus, hicnè morabimur? aiunt:
Ac licet hic noſtros ſubitura putredo ſit artus ,
Quod ſumus hoc erimus tamẽ, atq; amiſſa redibũt:
Pars noſtri fugiat maneat pars corporis intus.
Actus ineſt verbis, & iam dominantur ibidem.
Iam quoq; mole vias grandi (ſi vera rogati
Dixere)impediunt,& ab hoſpite ſpernitur hoſpes.
Res abit in peius : tacet ἐντελέχεια grauata ,
Suave miniſterium craſeos quòd abiuerat : ipſa
Prompta nihil ſeciùs(quia ſimplex)hæſerat in ſe.
Dum ſic perdurant : craſeos corruptio quid non
Arguat in cauſa fuerit ? cùm pura facultas
Semper agat : fugiat niſi forma, craſisvè laboret ;
Hīc chylus,hīc ſāguisq́;,hīc ſāguinis ordo quaternꝰ
Vel malè fit,prorſus fieri tandemvè negatur.
Hinc nuper commanſa Ceres elabitur ollæ :
Inde nec olla chylum peragit,nec vena receptum
(Quòd δύναμις preſſum propter vacat ἔμφυτον iſtum)
Sanguificat , nevè epar ſparſum corpore circa
Venarum corpus recoquit, nec porrigit vltra .
Tunc reliquus venis ſanguis vitalibus, ac is
Quem venæ portant, fit feruida deniq; bilis :
Ac ſic maiori ſenſim via ſternitur igni :
Tum demùm ſolidæ partes,quæ longiùs abſunt,
Non his vel flammis,vel bile augentur inani ,
Sed calor accenſo ſerpit ſub ſanguine : Iamq́;
Creſcit in immenſum : & latè loca ſumma peragrat,
Vrit & abſumit corpus populabile flammis :
Paruaq́; ſublatis fingit deliria fumis .

Nec

Nec calor intantos, vt duco, domesticus ignes
Cessisset: veteris dudum ni Sirius & Sol
Promissi memores pupugissent cornibus illum.
At magis atq; magis triplex calor æstuat intus:
Cordeq; non solo, iecore, & pulmonibus errat
Ignis edax imis, sed per quoq; pascitur artus.
Huc aliquis migrasse suis fornacibus Aetnam,
Vulcanumq;, cauoq; Erisichtona crederet ore:
Tàm præter maciem, præter nihil ossa relictum
SIGFRIDO fuerat. Mortem me cernere rebar.
Implorata suas tulerat Medicina medelas,
Amplexusq; dedit: verùm, mihi displicet author
Tantus, ait, febris: lachrimasq; emisit obortas:
Qui viuat longè iuuenem meruisse fatemur,
Sed spes in tenui est, morbusq; potentior Arte:
Ore, VALE, tristi tandem miserataq; dixit.
SIGFRIDVS contrà, vincet, quos cernitis, ignes
Omnia qui vicit. Licet hoc mihi corpus adurant,
Est tamen hoc aliquid mortali corde, quod expers,
Atq; immune necis, nullaq; delebile flamma est:
Hoc tua Mors, tua duraq; passio Maxime IESV
Aeternum fecit quondam, vitaq; beauit:
Hoc tibi commendo: nam te duce Tartara vincet.
Hic asto, mecumq; loquor; seu vincat, habebit,
Seu quoq; vincatur VICTORIS carmine nomen.
Interea sorbent auidæ præcordia flammæ:
Nec modus est: ignis rapidum quaq; deuorat ignẽ:
Ambustusq; leui penetrat spiracula fumo.
Vanescit tacitè vitalis (lumine nullo

Sed

Sed tactu manuum conſtabat) ῥεύματι fomes.
Εμφυτος ex hauſto ſupereſt in corpore paucus,
Inq́; vices dubias nunc huc nunc fluctuat illuc,
Et modò vim viſus rapit, & modò reddidit illam.
Sic lethalis hyems paulatim pectora ſternit.
Iamq́; diem medium Titanq́;; Canisq́; premebant,
Nec mora: finali prodibat, ab ore, ſuſurro
Sancte tuum nomen IESV: porroq́; gemiſcit:
O qui morte tua, pretioſo & ſanguine IESV
CHRISTE redemiſti miſerũ me: hanc ſuſcipe mẽtẽ:
Compreſſamq́; animam natamq́; doloribus aufer:
Hanc tibi commendo IESV dulcisſime, IESV.
Dum iam lingua iacet, tentataq́; verba negantur,
Labra tamen motu referebant vltima IESVM;
Cum IESVq́; animam exſpirat, ſubuectaq́; Cœlo
Corpore iam deerat, ſecum & ſua vota ferebat.
Non homo, ſed trũcus remanet: nec lumẽ, at orbes:
Nevè calor, ſed cor: pro SIGFRIDOq́; cadauer.
Aſpectant triſtem, Frater, Sociiq́; Barones,
Hunc vultum, mortemq́; gemunt; & mœſtior vſq;
SOLDANVS, propriasq́; vices, inopinaq́; chari
Funera diſcipuli, Patri mala nuntia, luget.
Moxq́; manus geminat, mox ſaucia pectora pulſat.
Ingemit: ac vbi nunc, queritur, tua buſta parabo?
Hicnè? ſed à Cippis pars ò caperetur Auitis
Optabit. Nitidis Auia & venerabilis annis,
Heu charum pectus, dicet, ſi lumine ſaltem
Hoc te conſpicerem, luctus ex parte leuares?
Stat mens ad priſcos deducere funera Manes.

Itur

Itur : & in thensa tristi pendigine tecta
Exanimis fertur SIGFRID : latere haudq; recedit
SOLDANVS charo, donec ferat vltima iusta.
O tristis reditus? sed visi tristior horror?
Ast caruisse tamen Gnato vix tristius vllum.
Ah quantis lachrimis humentia lumina canæ
Deflebunt Auiæ, quem, quàm se, pluris habebat?
O Matris genitus? ò bis binæq; Sororis
Singultus? ò & mœstissima pectora fratrum?
Et vulgus procerem, columen Proceresq; futurum,
Et decus optatum sibi Sanguinis Ordo dolebit.
Quæ verò Patris suspiria? quivè dolores?
Quæ vel inexhausti dirissima vulnera cordis?
Ah quoties, vbi nūc? vbi nūc SIGFRIDE? gemiscet.
Et meruisse quidem, madidis quæratur ocellis
SIGFRIDVM fateor: sic inclitus extitit ille
Ingenio: sic mens apicemq; per æthera duxit:
Sic humili dono virtus heroica salsa
Aequè laudata est paruis, Heroibus æquè:
Lectio sic rerum, triplicisq; peritia linguæ,
Iuditium præstans, & conuersatio docta,
Magnis acceptum fecit, paruisq; verendum.
Quis non aut Auro redimat? vel Marte? vel Arte?
Vel, modò si viuat, SIGFRIDVM euelleret vrna?
Grande fuisset Auis decus, & laus summa Parenti.
Immeritò nè Pater? quanto meminisse dolore
Temporis illius cogor, quo hæc vltima liqui TO.
Verba: VALE SIGFRIDE. VALE, rediture VALE-
At iam truncus adest, pro SIGFRIDOq; cadauer.
Quid

98-106-24

Quid tãdem experior, nisi vti noua funera cernam ?
Hei quò me pressum seruas onerosa senectus ?
Non crucis oceanus sat erat ? nec sylua laborum ?
Ah cur hęc olim non quis mihi Triton ab alta
Prædixit specula? non hac iuisset ab Arce .
Quis, Generose Baro, non talia deniq; voluat?
Cùm quoq; quod nimiũ est, vel ipsa Natura rebellet.
Ista Senem cur non agerent in tædia vitæ ?
Ast animo forti sese armat & instruit Heros ,
Heroem sese esse putat : nec mille tremiscit
Fluctus : inuictum nec mille pericula vincunt.
Quicquid habet, patienter habet, patienter & omne
Conuincit durum; nec & irreparabile luget :
Herois durum pectus nec & abiicit Heros .
Sic quoq;, qui plures vicisti, hos vince dolores
Magne Heros: vanoq́; puta doluisse dolore.
Id quod enim luges manet irreparabile semper.
Vestraq́; nec fuerat Letho securior Aula :
Cum vel Mors, vbicunq́; vigent Elemẽta, gubernet.
Cui benè nunc, illum cur mœsto corde doleres ?
Nãq; sacra VICTOR SIGMFRID iã PACE TRI-
Hoc quoq; speremᵒ nos, & gratemur ouãti. (umphat
Nunc tibi sit, qui cuncta facis benè, gloria IESV.

Vic. Sancti Officii Pataui

H595
N479s
V. I

J595
N479s
V.1